



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Directo-||rvm Exercitio-||rvm Spriritva-||livm P. N.|| Ignatii**

**Acquaviva, Claudio**

**Ingolstadii, 1592**

**VD16 A 125**

Capvt VII. De prima hebdomada in vniuersum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60966](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60966)

dubia, maximè si non possint cum suis Consultare, vt dicitur 16. reg. Prouincialis, & denique in rebus omnibus, quas coram Deo constituere, ac definire oporteat, semper admodum iuuat illa praxis, quæ in eligendo præscribitur, de qua infra prolixius agemus, & inde peti poterunt, quæ Inostros iuuare possint ad intelligendam Dei voluntatem in omni eiusmodi re, iuxta cuiusq; rei qualitatem.

*De prima hebdomada in uniuersum.*

CAPVT VII.

**O**MNIA HAEC EXERCITIA à Patre N. Ignatio in quatuor hebdomadas distributa sunt, quæ quidem hebdomadæ non tam numero dierum, quàm materiæ genere distinguuntur, & ideo non necesse est, vt septem, vel octo dierum circulus in singulis consumatur, sed sufficit vt illi affectus, vel fructus, inueniantur, qui in vna quaq; exquiruntur.

Prima continet cõsiderationem peccatorum, vt eorum foeditatem cognoscamus,

C 5

scamus,

scamus, vereq; detestemur cum dolore, & satisfactione conuenienti.

Secunda proponit vitam Christi ad excitandum in nobis desiderium, ac studium eam imitandi: quam imitationem, vt melius perficiamus, proponitur etiam modus eligendi vel vitæ statum, qui sit maxime ex voluntate Dei, vel si iam eligi non possit, dantur quædam monita, ad eum in quo quisque sit, reformandum.

Tertia continet passionem Christi, qua miseratio, dolor, confusio generatur, & illud imitationis desiderium vna cum Dei amore vehementius inflammatur.

Quarta demum est de Resurrectione Christi, eiusque gloriosis apparitionibus, & de beneficiis diuinis, & similibus, quæ pertinent ad Dei amorem in nobis excitandum.

IGITUR IN HAC PRIMA hebdomada proponuntur media, quæ ad animam purgandam per contritionem, & confessionem pertinent, & ad veram pœnitentiam in nobis gignendam iuuare possunt. Quare huc omnia dirigere debet,

debet, qui facit exercitia, vt peccati malitiam, suamque abiectiōem, & vilitatem agnoscat, eamque ex animo intimescentiat. Quam ob causam expediret, vt hoc tempore si sacerdos sit, ex hoc spiritu humilitatis abstineat à quotidiana celebratione, nisi deuotio, aut profectus spiritualis, aut aliqua obligatio ad id impellat, vt postea generali confessione peracta, maiori cum præparatione, fiducia ac reuerentia ad sacrificium altaris redeat.

Notandum etiam hanc primam hebdomadam esse fundamentum, ac basim cæterarum, & ideo nunquam prætermitti debere. Vnde etiam si quis alia exercitia huius hebdomadæ, aut etiam omnia integra fecisset, & de nouo ea repetere vellet, tamen hinc incipiendum esset, quamuis breuius expediri posset.

IGITUR POSTQVAM aliquis in eum locum venerit, vbi exercitiis vacaturus est, ea ipsa nocte debet Instructor ad eum adire, & priusquam tradat fundamentum, debet ei explicare aliquas ex

annotationibus, nempe primā, & quintam, & ex decima septima illam admonitionem de animo aperiendo, item ex viginti id quod dicitur de utilitate secessus in loco separato. Quod etiam opportunitatem ei dabit, vt moneat exercitantem de iis, quæ supra ca. 2. diximus eum esse monendum, cum ea tamen dexteritate, quam ibi diximus, nempe vt non omnia simul, sed quantum prudentia dictabit.

Annotatio autem illa ante fundamentum, quæ incipit, In primis, expediet magis hoc tempore, vt non proponatur ita in genere, quando quis incipit exercitia, sed in discursu exercitiorum, si quid dubium, vel obscurum, occurrat aut ob aliquam exercitantis diffidentiam, videatur opportunum, tunc ei explicari poterit.

*De Fundamento.*

CAPVT VIII.

**P**RIMVS INGRESSVS in hanc primam hebdomadam fit per considerationem vltimi finis, quæ consideratio ideo dicitur